Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 431
Quelle:
Copyright:

rebantur in Ordine Minorum, a pio Viro collecta data esse in lucem sub nomine S. *Bonaventurae?* Exemplar praesens Indice alphab. Rerum ad calcem instructum est. *Marraccius* in *Bibl. Mariana* v. *Bonaventura* perperam *Speculum B. Mariae siue de Laudibus Virginis L.* 1. et *de Laudibus B. V. in Salutationem Angelicam Libellum* distinguit, neque tamen etiam ab adferendo *Conrado* abstinet.

IV. *fol.* 88. *Liber*, ut e calce praeoccupo, *canticorum expositus ad laudem uirginis marie.* Additur alia aeque vetusta penna: *per sanctum thomam.* Initium est: *Osculetur &c. Que est ista exclamatio. tam magna. tam repentina. o beata maria. inundatio gaudij. vis amoris. torrens voluptatis. totam te operuit* &c. et finis: *deum unum viuum et verum. cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum Amen.* Expositio *Thomae* in *Cantica* extat T. XIII. edit. *Rom.* 1570. f. sed ea ad B. V. *Mariam* detorta non est. Neque aliam norunt *Echardus* et *Quetifus.* Itaque Commentario praesenti hederam adpendit aut Ignorantia, aut Spes adscito *Aquinatis* nomine illum celebriorem reddendi.

V. *fol.* 144. Congeries Textuum biblicorum ad informandos Sermones de Sanctis per anni decursum, ita tamen, ut prima Congeries fit pro Festo Pentecostes.

VI. *fol.* 154. *Incipit rota in medio rote.* In Elencho Codici praevio additur: *et sunt figure veteris testamenti ad diuersas materias.* Verum nec istud quidquam docet, nisi noris, *diversas* has *materias* esse totam Historiam evangelicam inde ab *annuntiatione dominica et conceptione* usque ad *Judicium uiuorum et mortuorum.* Haec igitur Allegoriis e V. T. depromtis in usum Concionatorum illustratur, adjecta mantissae loco Doctrina *de VII. Sacramentis Ecclesiae.*

VII. *fol.* 160. *Summa Magistri Johannis belet de ecclesiastico officio.* Manu vetustiore Sec. XIII. Init: *In primitiva ecclesia prohibitum erat* &c. Aliud Exemplar jam *Vol.* I. P. III. *col.* 2873. retuli; neque praesens istud minus variat ab Editis, ita v. g. in Edit *Diling.* 1572. 8. *min.* deest *Caput* integrum *de VII. Dormientibus*, quod nobis *fol.* 208. p. 2. legitur; ita ad *Caput de S. Martino fol.* 213. nobis additur: *Cappam eius post mortem reges francorum consueuerunt portare in prelijs. Vnde ipsi custodes ab ipsa dicti sunt Capellani.* Sunt vero etiam non pauca in Editione, quae desiderantur in Codice, ut nihil dicam de elocutionis differentia, quae omnia Librariorum in transscribendo licentiae imputanda censeo.

CCLV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 99. 8. per duas columnas probe scriptus, et minio distinctus, hoc titulo est: *Incipit byblia beate virginis Marie.* Titulos puta e sacris Literis ordine Librorum illi adcommodatos, nonnunquam non sine pia quadam R. 3341

vio-